



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

L. Papst Johann XXIII. hebt für das St. Johannis-Stift auf dem Schlosse zu
Tangermünde das Statut auf, nach welchem nur persönliche Residenz zur
Präbende berechtigt, am 8. November 1414.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54934)

Iren nachkommen vnd der kerchen oder Cappellen vff dem egenanten huffe zu Tangermunde, on geuerde, mit orkunde diß brieffs versiegelt mit vnfem anhangenden Infigel, der geben ist zu Tangermunde, am freytage nach dem Sontag, als man im chore singet Reminiscere, nach Christi geburt Viertzehenhundert vnd Im vierzehenden Jare.

Gerdens Dipl. II, 304—306.

L. Pappst Johann XXIII. hebt für das St. Johannis-Stift auf dem Schlosse zu Tangermunde das Statut auf, nach welchem nur persönliche Residenz zur Præbende berechtigt, am 8. November 1414.

Johannes Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Preposito et Capitulo ecclesie Sanctorum Johannis Baptiste et Johannis Evangeliste Tangermundensis, Halberstadenſis Diocesis, Salutem et apostolicam benedictionem. Ex iniuncto nobis apostolatus officio, quod merito nos constituit omnibus debitorem circa emergentia undique necessario vigilamus, et ad id precipue inclinamur, ut ea, que in diminutionem honoris et status ecclesiarum inconsulte facta sunt, ope nostra ad statum debitum reducantur. Cum itaque sicut accepimus quedam statuta et consuetudines ecclesie sanctorum Johannis Baptiste et Johannis Evangeliste Tangermundensis, Halberstadenſis diocesis singulorum Canonicorum ipsius Ecclesie juramento firmata ac per sedem apostolicam et loci ordinarium confirmata, per que expresse caueri dicitur, quod vos nullis ex Canonicis in eadem Ecclesia perpetuam et continuam personalem residentiam non facienti, neque seruitio alicuius temporalis domini insistenti, fructus prebende sue in eadem Ecclesia teneamini ministrare, ac aliis statutis per que prefate ecclesie plerumque in honoris ad status suppositorum suorum cedunt in non modicum detrimentum. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut vobis et dicte ecclesie super hoc providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos quorum interest cupientes super hiis provisionis accommode remedium adhibere, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis ut cum singulis Canonicis presentibus et futuris in eadem Ecclesia huiusmodi residentiam non facientibus, neque seruitio alicuius temporalis domini insistentibus, ut presertim ac super aliis statutis et iuramentis huiusmodi ad certum tempus, de quo vobis videbitur, dispensandi, dictumque iuramentum, quoad premissa relaxandi, nec non eisdem Canonicis non residentibus, ut presertim, fructus, redditus et proventus prebendarum suarum, quas in ipsa ecclesia obtinent in parte seu integraliter, prout etiam vobis videbitur, ministrandi plenam et liberam concedimus tenore prefencium facultatem, Proviso quod propter hoc diuinus cultus in eadem ecclesia nullatenus minuat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Constantie, VI. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno quinto.

G. de la Porta.

Gerdens Dipl. II, 294—297.